Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36485
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

[referat ho]
suo, qui illi ineffabilis benignitatis largitate essentiam cum lapidibus
vitam seminalem cum herbis et arboribus. vitam sensualem eandemque animalem
cum pecudibus. vitam rationalem cum angelis dedit. Sit igitur herbarum quoque et
fruticum vitam in corpore esse pateat. eandemque non amitti a corpore sed di-
mitti. quero autem herbas et arbusta. utrumnam neges vivere an forsan
dicas his ipsis viventibus aliquas ut vivant animas inesse. Sed a-
nimata si essent. motu proprio non carerent. quia sunt que movent motu
non proprio. sentirent etiam vulnus inflictum. Sed hec talibus non inesse et
de ossium sectione et capillorum atque unguium precisione cognoscimus.
que sine ullo sensu doloris abscidimus. Est ergo etiam ibi vita. ubi non est
anima. Aspice nunc adeficiendam hanc ipsam arboris vitam. omnium
elementorum particulatim semina convenisse. Est illi videlicet ter-
ra in crassitudine aqua in humore aer in progressione ignis in ger-
mine. Si autem de aere est anima aut aeri similis est ut tu te pro-
nuncias. ergo arborem non negabis animatam. quia perspicuum est aeris
illi inesse naturam. Inferiora nempe rato rerum ordine superioribus
afficiuntur. Transacto scilicet frigore pruinali per conversionem celi
recursu siderum calor superne veniens. aerem sibi et loco et natura pro-
ximum prius afficit. qui quoniam tanto gradu igni cedit quanto ipse aquis
eminet. per radices arborum vel quorumpiam germinum de terre intimis
aquas attrahit. eo quod ignis elementum omnia naturaliter rapiens tepe-
factum aerem ad se cogit. per quem arboris medulla sicut ipse haurit
aerem. sic aer aquam. sic aqua terram. Unde est quod etiam nos per fistulam vel
huiusmodi tibiam attracto aere aquas in difficultate haurimus. et
puteorum profundis artificiose compacto machinamento quodam sur-
sum versus unda gravior ob naturam cogitur. et aeris adminiculo in an-
gustiis tubulorum meatus vi compulsa labrum tenus super summum pu-
tei expressa prolabitur. Hec ergo dissonantia contrariorum corporum ut
quodlibet vivens corpus existat. in quandam convenientiam cogit nutu
creatoris. Ex his autem elementis quattuor que moderante musiceque in ar-
boris vitam sibi conveniunt. si quid contra mensuram vel superfuit forte vel defuit